





*N.R.*  
1793, 10.

DE  
**A M P L I A T I O N I B V S**  
IVDICIORVM PVBLICORVM  
APVD ROMANOS  
E N I M E T R O N I

---

**O R A T I O N I**  
AVSPICANDI MVNERIS  
CAVSSA  
A. D. xxx. IAN. c*ccc*clxxxxiv  
H. L. Q. CC  
HABENDAE PRAEMISIT

**CHRISTIANVS DANIEL ERHARDVS**

IVRISSC. D. TITVLOR. D. V. S. ET DIV. R. I. A. PROF. PVBL. ORD  
DESIGN. IVDICII IN LVSAT. INF. SVPREM. ET COLLEG. I. CTOR  
QVOD LIPS. EST ADSESSOR SACR. PALAT. COMES  
ACADEM. ELECT. MOGVNT. SODAL

---

LIPSIAE  
EX OFFICINA BREITKOPFIANA.

DE

A M P L I A T I O N I B A S

I A D I C I O R A N T F A B R I C O R A N

A P A D R O M A N O S

E P I M E T P O I T

O R A T I O N I

A U F E I G N I D I M A N N E R I S

G A U S S A

A. D. xxx. IANUARIS CCCLXXXVII

N. M. Q. G.

H A B B N D A R P R A F M I S T

C H R I S T I A N S D A N I E L F R A H R D A S

T H E O D O R U T T E R D O C U M E N T U M I S T E R I U M

D E S C I C H T A D I C I H I E P A R A T I C H Z A T T E M S D E C O M I C H C L O E

Q A D D I T I S X A T D I S E C T O R A W M B I T A S C O N S

V A D E M E B E L E C T M O D A T S O D A L

L I P S I A E

E X O F F I C I A N A E R E T I O P L I T I A N A

— VI —  
ad iudiciorum publicorum etiam ampliatione  
etiam ampliatione  
**DE** ampliatione  
etiam ampliatione  
**AMPLIATIONIBVS**

**IUDICIORVM PVBLCORVM**

**APVD ROMANOS**

**EPIMETRON I**

**Q**uum aliquot abhinc diebus in eo, quem de ampliatione iudiciorum publicorum apud Romanos propositum libello, primum quae huius instituti fuerit natura atque indeoles, tum quid ea fuerit effectum, denique quid de eius origine et fatis sit statuendum, disquirere atque ad fidem antiquorum scriptorum exigere studuerimus; perorata causa nobis posset videri si non, quam salutaris atque praestans hic mos fuerit, ostendere, et quae huius rei causa apud veteres Romanos obtinuerint, cum recentioribus iudiciorum criminalium legibus atque consuetudinibus conserre vellemus. Iam in his, quae de in-

A 2

quirendis

quirendis criminibus atrocioribus et reipublicae pernicio-  
soribus a legislatore sunt statuenda, duo potissimum spe-  
ctari oportet, tum ne insontes poenis immeritis subiiciantur,  
tum ne delicta maneant impunita. Quum autem alios  
illam Charybdim viratores in hanc Scyllam incidisse, alios,  
cum Scyllam praeter nauigare vellent, Charybdim haud ef-  
fugisse, experientia doceat, laude et imitatione digna  
erunt omnia eiusmodi instituta, quibus hoc periculum,  
nisi penitus auferri, valde tamen imminui posse videatur.  
Eiusmodi autem institutis merito adnumerandam esse reo-  
rum ampliationem, qualis apud Romanos, gentem mitis-  
simam eamdemque iustissimam obtinuerunt, inde patet,  
quod eam idcirco introductam fuisse scimus, vt et reo-  
rum innocentia adhuc dubia, causa plures perorata, ma-  
gis eluceret, et hominum improborum facinora nondum  
satis explorata ad liquidum perducerentur, atque ita caue-  
retur, ne per nimiam iudicandi festinationem insontes poenis  
immeritis subiicerentur, nec scelerorum hominum nefario  
capiti parceretur. Quodsi quis forte nobis vellet obiace-  
re, non conducere, vt alii populi hunc morem imitentur,  
protrahi enim ampliationibus iudicia; equidem ipsi respon-  
dendum esse existimauerim, nobis cauendum esse, ne, dum  
nocentissimam et turpissimam illam litium aeternitatem ex  
iudicium negligentia, ignorantia et avaritia, nec raro ex le-  
gum

gum obscuritate et iuris incertitudine oriundam, vel ordine iudiciorum inanibus nugis et superuacaneis sollemitatibus repleto tribuendam, e foro eliminare studemus, festinationi, quae, ut haud inepite Cyprianus ait, nouerca est iustitiae, nimium faueamus, atque eas etiam litium ambages rescindamus, quae defendendae causae, et erucrandae veritatis ergo sunt institutae. Qui vero sumtus iudiciorum et ad alendum reum necessarios, apud nos ex aerario publico haud raro sumendos, crebris ampliationibus augeri, ideoque, easdem vitare, consultius esse dixerit, caueat, ne ipsius argumentum ad eam, quam haud iniuste veterinariam cum Sturzio dixeris iurisprudentiam, propterea referatur, quod iustitia enim in reos ideo ociosus strin-gendum existimabat, ut pecuniae parceretur.

Nec ferenda est eorum iudicum detestanda leuitas atque insolentia, qui quim multis negotiis premantur, ut temporis parcatur, quam citissime cognoscendum et iudicandum putant, iustissimisque collegarum dubiis aut patronorum rationibus aures preecludunt, atque, ut Gellius Libr. XIV. cap. ii. de iis resert, qui cum ipso essent in consilio: se circumundique distrahentibus causis, nec raro latrantibus stomachis et expectantibus domi amicis ad conviuia ludosque vocatis, non sedendum diutius, ac nihil

*dubium esse clamitant, atque isto nefario clamore innocentiae atque iustitiae voces turpissime opprimere non dubitant.*

Jam vero eius instituti apud Romanos talis erat ratio, ut ampliata causa non esset extimescendum, ne longius iudicium protraheretur, ac necessitas reique indoles postularet. Neque enim litigatorum arbitrio, quo tempore de novo perorare vellent, erat relictum, sed nouus a Praetore ipso dies erat dicendus, in quem ambo adesse iubebantur. Deinde, licet pluries causam fuisse ampliatam monumentorum antiquorum fide constet, nusquam tamen posteriores actiones a prioribus valde remotas causamque per longum tempus continuatam fuisse legimus. Quod quidem ne fieri posset, per eas leges cautum est, quae certum quaestionibus criminum tempus praefigerent, et quae in Codicis Theodosiani Titulo: ut intr. annum criminis quaest. terminetur et in Codice Iustinian. repetit. paelect. L. III. ut intra certum tempus criminis quaestio terminetur, nobis sunt seruatae.

Hunc vero morem cum aliis iuris Romani institutis olim in foris Francogalliae inualuisse, ibique sub nomine amplioris cognitionis (*le plus amplement informé*) fuisse celebratum, cognouimus. Sed hic mos a primo, cui de-

finatus

stimatus erat, consilio ita deflexit, ut iam omnibus iustitiae aequitatisque amantibus, si modo ultra vulgus sapienti, quam maxime detestabilis videatur. Qui mos quum plurimos lateat, in quantum nobis innotuerit, lectibus imperficiemus.

Duplex scilicet ampliatio quondam erat in foris Galliae, definita atque indefinita. Ambae in eo continebant, ut per sententiam iudicis tam pronunciarentur, quum accusatio non esset probata, reus tamen iudicii suspicionis haud plane videatur immunis. Tunc quidem de eo amplius cognoscendum esse dicere poterat iudex, certo simul tempore, intra quod hoc fieri deberet definito (*le plus amplemē informē definiti*). Quodsi hoc tempus annum non excederet, ampliari quis poterat sine ullo honoris detimento: si longius tempus esset definitum, tunc reus leuis notae masculam contraxisse existimabatur. Injustissimum hoc fuisse, nemo est, qui dubitet: quum enim iudex ob delicti incertitudinem poenam nec vellet, nec posset irrogare, cur moribus eundem hominem acerbissima poena affligi sinebat? Quod si videretur absurdum simul et iniustum, nomine omnis iniustitiae et insaniae modum ac vim excedebat, quum de homine, nullo definito tempore, amplias pronunciaretur? (*le plus amplemē informē indefiniti*). Tunc enim reus non solum

per-

perpetuo accusationis periculo per totam vitam erat subiectus: sed certissimo etiam infamiae sempiternae exitio trahebatur. Quo factum est, ut inter poenas infamantes a iure-consultis Francogallis soleret referri ampliatio indefinita, id quod adhuc factum est in Pastoretii de legibus poena-rialibus libro, parte secunda Cap. III. Art. III. quem A. C. clcccxxxx. Lutet, Parisior. prodiisse scimus. Immanis vero erit hic pronunciandi mos, si eum tamquam deretur de amplius cognoscendo; absonus vero et simul iniustus, si ut poenam consideraueris. Decretum de amplius co-gnoscendo nullis temporis limitibus circumscripum im-mane esse, quisque viderit, qui non innocentiam sed de-lictum esse probandum cognoverit. Delicto vero intra statum tempus non ita probato, ut nulla ad condemnandum reum dubitatio super sit, eumdem absolui, iustitia postulat. Quodsi magna adhuc flagiti per perpetrati ad sit suspicio, tunc am-pliari quidem posse reum existimo, sed ita, ut, sicut a Theodosio et Iustiniano factum est, tempus certum definiatur, quo elapsio, si crimen nondum fuerit probatum, reus sit absoluendus. Reo vero innocentiae probationem injungere durissimum esse videtur, quum et innocentissimus possit premi suspicionibus ita comparatis, ut ab iis numquam possit purgari. Quoties enim innocentii nihil, nisi: non feci dicere, reliquum est. Pec-cant igitur legumlatores et iudices, qui innocentiae probatio-nem

neim ab aliquo postulant, cum in ipsis causis ciuilibus, in quibus de rei familiaris emolumentis, non vero de capite ciuii agitur, adfirmanti, non neganti incumbere probacionem subinde repeatant atque inculcent. Si vero tamquam poenam consideraderis illum indefinitum ampliandi modum, duo locum habere possunt: aut enim reus per eam sententiam criminis convictus declaratur, tunc vero non ampliandus, sed puniendus erit, aut eum fontem esse adhuc dubium est, et tunc ampliari quidem poterat, vt causa magis cognosceretur; sed cur iudex, qui eum condemnare non ausus est, per sententiam ampliationis indefinitae cum infamia perpetua coniunctam poenam, quae homini non omni honesti sensu carente durior morte et sempiterno carcere videbitur, in eum statuit, qui innocens esse possit? Cum Servano\*) igitur et Pastoreto II. hunc ritum merito proscribendum fuisse, iure mihi contendere video.

Quum vero iudiciorum criminalium apud Francogallos tanta esset prauitas, vt eorum emendatio atque conuersio ab omnibus erectioris indolis hominibus, qui iura humanitatis cara habent, audiissime expeteretur: Francogalli, alio fibi modo consulere existinantes, in con-

trari-

\*) Gedanken über einige Punkte der französischen Gesetze, von Servan,  
aus dem Franz, Bern 1782.

trarium vitium incurserunt. Nam Anglomania correptum iudicium iuratorum (*iury*) introducendum omnibusque alii modis inquirendi in facinorosum multo anterendum esse, statuerunt. Qui quidem Britanorum iudicia publica habendi modus quamvis multa in se habeat praeclaras et libertati ciuium salutaria, multis tamen simul vitiis scatere mihi videtur. Vtrum vero nonnulla in Francogallorum nouis legibus melius constituta, an vero sine discrimine recepta fuerint, quum non satis compertum habeamus, quaecunque ad nostrum institutum ex ipsis legibus fortassis pertineant, altero huius dissertationis Epimetro supplere conabimur. Ut vero isti celebratissimo iuratorum iudicio multa inesse videmus, quae; insontes condemnationis iniustae periculo exponunt, sceleratissimis hominibus promeritam apertissimorum scelerum poenam effugiendi occasionem largiuntur, ita hoc praecipue inter vitia apertissima eius instituti pertinere videtur, quia iuratis, quoties ipsis de re non satis constat, ampliare non est permisum. Scimus enim finita quaestione iuratos re aperta statim sententiam modo consueto dicere; dissentientes vero in consilium mitti, ibique solitario loco inclusos cibo potuque priuatos teneri, donec inter ipsis de communis sententia, omnes enim consentiant necesse est, conuenisset; iisdem non nisi duobus formulis uti esse permisum;

missum: FECISSE VIDERI (*guilty*); NON FECISSE VI-  
DERI (*not guilty*); nulla ratione eorum habita, qui, nu-  
mero aut plures aut pauciores, rem dubiam adhuc esse ex-  
istimarent, ita, ut renitentibus, si fame sitique perire nolint,  
nihil supersit, nisi absoluere hominem, quem sòntem, sed  
non satis conuictum, existimant, aut condemnare cum, de  
cuius delicto nondum satis inter ipsos constat. Cum vero  
iis de facti veritate tantum quaerendum sit, saepe fieri so-  
let, ut, incerti sint, ad quodnam genus delictorum facinus rei  
sit referendum: tunc autem iudicis arbitrio, quid de hac  
re sit statuendum, per sententiam expresse relinqunt, quae  
vocatur sententia conditionata (*a special verdict*). Quid si  
vero sòntem quidem, sed ob varias causas excusandum put-  
ant hominem, ipsos eundem clementiae Principis com-  
mendare, sententiae addunt. Caeterum, si insontem con-  
demnatum fuisse suspectur iudex, de nouo causam ad  
iudicium posse deferri et iuratis iterum decidendum  
relinqui, auctor est Guilielm. Blackstonius<sup>\*)</sup> in Commentariis LL. Anglicar. Libr. IV. cap. xxvii. Quae omnia  
nullam medclam adferre videntur magno istius instituti  
defectui, qui in eo consistit, quod iuratis quoties, rem non  
satis apertam cognoverint, non licet reum ampliare. Quid si

B 2. enim

<sup>\*)</sup> William Blackstone. *Commentaries on the laws of England.*  
*T. I.—V.*

enim altero iudicio iterum iuratis incerta caussa visa fuerit? Nonne eodem vitio laboratura foret secunda ista iuratorum decisiō, quo prima necessario laborare debebat? Deinde si libertati ciuium per istud institutum debet prospici, quod pares a paribus iudicantur, sane huic libertati non admodum prospectum fuit, quum isti pares decidere non possint, utrum causa fatis clara et explorata, an vero amplius indaganda esse videatur, sed haec omnia iudicis arbitrio sint relictā. Quum autem verosimile sit, iuratos incertos magis ad absoluendum, quam ad condemnandum fore proclues nec, si fontem fuisse absolutum clarissime pateat, vltiori cognitioni locus sit, innumeros eosque periculosisimos flagitosos promeritis poenis effugere videmus. Non mirum igitur est abundare Britanniam latronibus, furibus aliisque hominibus vitae et fortunis ciuium periculis, quum quotidie pessimi homines ob leuissimam caussam absoluantur, ideoque spes effugiendi poenam ad perpetranda scelera grauisima alios adliciat. Laudandum igitur multas ob causas videtur hoc Anglorum institutum celebratissimum, verum et reprehendendum est ob allatam, et alias causas, quas non vidisse Lolmum \*) aliosque rerum Britannicarum praeco-

llit. Quidamque ceteri sunt non solum de compunctione nes

\*) *De Lolme constitution de l'Angleterre ou état du gouvernement Anglois comparé avec la forme républicaine et avec les autres Monarchies de l'Europe.* Tom, I. c. XI. XII. à Londres 1751 CCLXXXV.

nes eo magis miror, quo mihi haec vitia gratiora et apertiora esse videntur. Quae enim de libertate ciuium, cui isto iudicandi modo optime esset consultum, hic adferunt, ea me ad adsentiendum huius moris studiosis et caecis admiratoribus non possunt adducere. Quamuis enim ita de iudiciis, quae de criminibus habentur, sentiam, ut ea tunc tantum bene constituta esse credam, quum reus omnia, quae sui causa fiunt, ad normam legum naturae humanae adcommodatarum fieri, nec ab ullius arbitrio vel cupiditate pendere, viderit; tamen idem ego contendo, iis omnibus libertatem ciuium non sartam tectamque conseruari posse, nisi praeterea, ne innocentes immeritas poenas luant, etiam hoc efficiatur, ne scelerati facile poenam effugiant. Quid enim iuuat, me non iniusto principiis aut iudicis arbitrio posse opprimi, cum omnibus poenis atque suppliciis non effectum sit, ne vita opesque a perditissimorum hominum arbitrio quotidie pendeant?

Mirandum igitur, complures homines sapientes, quum de iudiciorum criminalium apud liberas gentes ratione instituenda cogitarent, fibi istum morem ab Alfredo Anglorum rege institutum tamquam summum mentis humanae in eo genere artificium cogitasse, et ad imitandum proposuisse; cum tamen rationi iudiciorum Romanorum

publicorum multo plura inessent, quibus libertati ciuium, sine securitatis publicae iactura consuleretur. Quam quidem sententiam nostram ampliandi ritus, qualis apud Romanos esset receptus, iliaculentissimo modo confirmat. Quodsi isti homines hodierna Germanorum instituta magis curarent, in Saxonia nostra potissimum exemplum eius iudiciorum de criminibus habendorum modi inuenire potuerint, quo et arbitrium iudicis arctissimis pariter atque iustissimis finibus circumscripsum et securitati publicae optime prospectum esse experientia edocti sumus. Sed quae de legibus consuetudinibusque ampliationis causa in Germania, potissimum vero in Saxonia obtineant, quando alia scribendi occasio nobis suppedabitur, explanare studebimus.

Quum in calce huius scriptioris nonnihil spatii supersit, nonnulla quae ad primam huius argumenti tractationem nuperrime emissam, addere adhuc atque emendare vixum est.

*Ad pag. XXXIV.*

Lacedaemonios globulis albis et nigris, his condemnandi, illis absoluendi signis in vnam pyxidem immittendis, vsos, et cum utriusque munero essent pares, absolu-tum

tum fuisse reum, tradit Pollux lib. VIII. cap. cxxiii. et  
Meursius in Areopago Cap. VIII. apud Gronou. in Thesaur.  
Antiquitatt. Graecar. Tomo V. Cum igitur tertio signo,  
nempe Ampliationis plane carerent Graeci; nec, hunc  
morem apud eos viguisse, nullus scriptor probus nobis tradi-  
derit, ampliatione in iudiciis Romanis vltatae originem a  
Graecis non fuisse repetitam pro certo et explorato haben-  
dum esse arbitramur. Neque audiendus est Polletus, qui  
in histor. fori Roman. Libr. IV. Cap. xv. Arcopagitas in  
iudicio aliquius mulieris veneficiorum reae amplius pronun-  
ciasse dicit. Etenim ex Ammiani Marcellini Libr. XXIX.  
cap. ii. pag. ccclvi. Edition. August. Gulielm. Ernestii,  
vbi haec causa enarratur, videamus, consilium, ad quod  
ea causa esset delata, eam diffidisse. Arcopagitas autem,  
qui anno centesimo ream cum accusatore iterum adesse  
iuberent, nullo modo, amplius cognoscendum esse, pro-  
nunciassse, cum potius ita, ut non amplius posset co-  
gnosci, respondissent, quod quidem iudicium magis spe-  
ciem ludi, quam sententiae prae se ferre, ideoque moris eius  
apud Graecos recepti nullum prachere exemplum existima-  
mus. En locum ipsum: *Apud Proconsulem Africe Dolabellam Smyrnaea materfamilias filium proprium et maritum  
venenis necasse confessa, quod filium ex priore marito ab  
eis occisum compresisset, et compreendinata, cum consilium,*

ad

*ad quod ea res ex more delata est, anceps, quid inter vltionem et scelus statui debeat, haestaret, ad Areopagitas missa est Athenienses iudices tristiores: quorum aequitas Deorum quoque iurgia dicitur disiunxit. Hi causa cognita centesimo post anno cum accusatore mulierem adesse iuferunt, ne aut abfoluerent veneficam, aut vtrix necessitatum puniretur.*

*Ad paginam XXXV.*

Diximus, Io. Aug Ernestium primo docuisse, legem Aciliam Seruilia fuisse antiquorem. Sed in eo nos errasse vidi-  
mus demum, posteaquam Antonium Augustinum de legibus  
in Graeui Thesauro Antiquitat. Romanor. Tom. II. p.  
clocLXXIII euolueramus. Nam hic idem iam ante Ernestium  
vidit. Licet enim A. Augustinus falso contendat lege Acili-  
am comperenditionem et ampliationem fuisse sublatam,  
cum primum lex Glaucia Seruilia illam in criminе repe-  
tundarum introduxerit, tamen idem hoc adiungit, legem Aciliam a C. Seruilio Glaucia fuisse abrogatam, ita  
vt pateat, illam pro antiquiori ab eo fuisse habitam. Quam-  
vis igitur Ernestius vberius et rectius hunc locum exposue-  
rit, tamen huic, vt nos cum Garatonio ad Ciceron. in  
Verr. Libr. I. cap. ix, pag. cxcviii Tomi II. Edit. Neopolitan.  
opinati sumus, hanc de legis Aciliae aetate sententiam

non

non deberi, re adecuratius explorata intelleximus. Sed dubitauerim quin Ernestius Anton. Augustinum hic consuluerit, id quod, nisi ex eius de hoc silentio, tamen inde colligere licet, quia in Indice legum pagina quarta nullum scriptorem vidisse, ait, qui certum legi Aciliae annum attribueret, quanquam Antonius Augustinus l. l. eam A. V. DCXXXVIII. Manio Acilio Glabrone et M. Catone COSS. latam fuisse, diserte perhibet.

Sed subsistendum est hic, quo gratissimi pectoris pie-tatisque sensibus locum faciamus. Scilicet placuit SERENISSIMO PRINCIPI ELECTORI SAXONIAE FRIDERICO AVGUSTO Patriae Patri Indulgentissimo EIVSQVE AMICIS rerum Saxoniarum moderatotibus sapientissimis, Viris Summis, Professionem TITULOR. DE VERBOR. SIGNIF. ET DIVERS. REGVL. IVR. ANTIQV. Publicam Ordinariam fidei meae concredere. Quod quidem munus, siue eius grauitatem et amplitudinem in se, siue auctam mihi ita de Republica atque hac Academia bene merendi opportunitatem, siue denique modum quo id impertitum est, spectem; id longe mihi iucundissimum atque honorificentissimum esse debere, quis non intelligat? Eius igitur adeundi causa, quum in more positum sit, ut oratio habeatur, qua non modo tanti be-

C

neficii

— XVIII —

neficii se, qui tale munus capessere velint, pie memores probent, verum etiam aliquid Commilitonum Ornatussimorum causa adferant, quod muneris noui rationibus respondeat; sequar hunc morem eo lubentius, quo impensius cupio, sensa reverentiae atque pietatis declarare, et vota ardentissima pro SERENISSIMO PRINCIPE ELECTORE et UNIVERSA DOMO AVGUSTA suscipere. Id quod facturus sum oratione *de vitiis quibusdam, in ratione docendi et discendi jurisprudentiam in academiis obuiis*, quea a me a. d. xxx. Ian. in auditorio I. Ctorum habebitur. Ad quam benebole audiendam, vè VOS, RECTOR ACADEMIAE MAGNIFICE, COMITES ILLVSTRISSIMI, DOCTORES et PROFESSORES CELEBERIMI, CLARISSIMI, VOS denique COMMITITONES OPTIMI, frequentes conuenire, et hanc sollemnitatem illustriorem reddere velitis, ita Vos rogo oroque, vt me magno beneficio a VOBIS affectum ad omnia humanitatis officia praeflenda vicissim paratissimum nullo non tempore habituros esse spondeam. P. P. Dominica Septuag. A. C. c<sup>l</sup>xi c<sup>l</sup>xxxix.

---


In nupera Dissertatione haec adhuc corrigere:

p. XXV. lin. 4. a fine *pro adde lego* addere. p. XXVI. lin. 7. a fine  
p. Bouchard *l. Bouclaud* p. XXVII. lin. 3. ab init. p. Cap. XIII. l. Cap.  
XVIII. p. XXX. lin. vlt. p. nonne *l. ame*. p. XXXIII. lin. 4. a fine *p.*  
*fententia* *l. fententia*. p. XXXV. lin. 8. a fine *p. est l. est.* p.  
XXXVIII. lin. 7. a fine *p. temporis l. temporis*.

Leipzig, Diss; 1793

ULB Halle  
004 350 43X

3




f TA-202

hier Seite 6. bisher vermisst

KDP





DE  
**A M P L I A T I O N I B V S**

IVDICIORVM PVBLICORVM

APVD ROMANOS

E Π I M E T P O N I

**O R A T I O N I**

A U S P I C A N D I M V N E R I S

C A V S S A

A. D. xxx. IAN. cIcIccLXXXIII

H. L. Q. CC

HABENDAE PRAEMISIT

**CHRISTIANVS DANIEL ERHARDVS**

IVRISSC. D. TITVLOR. D. V. S. ET DIV. R. I. A. PROF. PVBL. ORD  
DESIGN. IVDICII IN LVSAT. INF. SUPREM. ET COLLEG. I. CTOR  
QVOD LIPS. EST ADSESSOR SACR. PALAT. COMES  
ACADEM. ELECT. MOGVNT. SODAL

LIPSIAE  
EX OFFICINA BREITKOPFIANA.

